

FRAGMENTA PHILOSOPHICA

E CICERONE, ET SENECA.

I. FRAGMENTA PROPAEDEUTICA.

Leg. I. Cap. XXII. Profecto ita se res habet, ut, quoniam vitiorum emendatricem legem esse oportet, commendatricemque virtutum, ab ea vivendi doctrina ducatur. Ita fit, ut mater omnium bonarum rerum sapientia sit; a cujus amore, græco verbo, Philosophia nomen invenit: qua nihil a diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum vitæ datum est. Hæc enim una nos, quum ceteras res omnes, tum, quod est difficillimum, docuit, ut nosmet ipsos nosceremus: cujus pæcepti tanta vis, tanta sententia est, ut ea non homini cuipiam, sed Delphico deo tribueretur. Nam qui se ipse norit, primum se aliquid habere sentiet divinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod dedicatum, putabit; tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet, et sentiet. Et, quum se ipsè perspexerit, totumque tentarit, intelliget, quemadmodum, a natura subornatus, in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam: quoniam principia rerum omnium, quasi adumbratas intelligentias, animo ac mente conceperit; quibus illustratis, sapientia duce, bonum virum, et ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.

Cap. XXIII. Nam quum animus, cognitis perceptisque virtutibus, a corporis obsequio indulgentiaque discesserit, voluptatemque, sicut labem aliquam dedecoris, oppresserit;

Chrestomathia Lat. in usum auditorum Philosophiæ, Viennæ 1833.